

rent gratiam, possent infantibus sacramenta dari, etiam præter baptismum, et auferent in eis gratiam, quod fieri non videmus.

XXVIII. Confirmatur, nam si ex opere operato conferunt gratiam sacramenta, vel ratione formalis conferunt, vel ratione materialis; non ratione formalis, quia hoc est relatio rationis, id est, significatio, quæ non est aliquid reale; nec ratione materialis; tum, quia aqua sine verbo, ut dicit Augustinus non est nisi aqua, nec causat aliquid spirituale; tum, quia illud materiale est entitas quædam naturalis, cui non convenit per se causare gratiam, quæ est super omnem talem entitatem, et accidit illi elevari ad ordinem supernaturalem: ergo non est per se in sacramentis causare gratiam.

XXIX. Respondetur, quod causalitas ex opere operato non excludit opus operantis ut dispositionem ad gratiam, sed excludit opus operantis ut rationem principalem, et quasi effectivam habendi gratiam; seu excludit opus operantis ut principium a quo habeat vim suam, cum illam habeat ex meritis Christi. Nam etiam ipse Deus, quando causat effective principaliter gratiam, non excludit dispositionem suscipientis, neque agentia naturalia dispositionem materiæ: conferunt ergo ex opere operato, quia tenent se ex parte virtutis Christi conferentis gratiam subjecto disposito. Et etiam, quia conferunt ultra propriam dispositionem, conformiter tamen et proportionaliter ad illam, sed non sine illa: si autem daretur infanti eucharistia, auferet in eo gratiam; quod et aliquando factum est in Ecclesia. Alia vero sacramenta eis dare non expedit, quia requisita ad illa in infantibus non concurrunt.

XXX. Ad confirmationem respon-

detur, quod quando quæritur, an ratione formalis causent sacramenta vel ratione materialis, si ly ratione dicat formalem rationem et causam, nec unum nec alterum est ratio causandi, sed motio divina eis impressa: si autem ly ratione dicat rem assumptam et motam ad causandum, dico esse totum sacramentum (id est, materiale ut subest formali) et sic non sola aqua sine verbo causat, nec entitas naturalis per se causat gratiam, sed per elevationem et motionem; et sic ista est per se: Sacramenta novæ legis causant, quia ly sacramenta novæ legis, non supponunt pro sola entitate materiali sacramenti, sed pro illo materiali ut moto et elevato a Spiritu gratiæ; sicut hæc non est per se: Aqua calefacit, bene tamen hæc est per se: Aqua calida calefacit; et hæc non est per se: Caro sanctificat; hæc tamen est per se: Caro Verbi sanctificat.

XXXI. Quarto objicitur: In sacramentis fides exigitur: ergo magis ipsa justificat quam sacramenta, si quidem similior est et propinquior gratiæ quam sacramenta: imo cum fide sine sacramento salvatur homo, cum sacramento autem sine fide nunquam: ergo magis operatur fides quam sacramentum.

XXXII. Confirmatur, nam solus Deus novit corda hominum, solus Deus est qui dimittit peccata, neque rebus et signis externis gratiam suam obligavit: ergo sacramenta non justificant, sed Deus ad præsentiam illorum.

XXXIII. Confirmatur secundo, nam non est de fide gratiam esse qualitatem inhærentem in anima: ergo neque est de fide causari per sacramenta. Antecedens patet, quia gratiam esse habitum et qualitatem, solum tamquam probabilissima opinio admittitur in Clementina unica de summa Trinitate: ergo.

XXXIV. Respondetur negando consequentiam argumenti; licet enim fides sit similior gratiæ in entitate et spiritualitate, non tamen in motione et causalitate instrumentali a Deo suscepta, quia licet Deus posset assumere fidem ut instrumentum justificandi, sicut sacramenta, placuit tamen illi per humilitatem carnis salvare nos, et ita subijci nos sensibilibus propter ipsum; sicut et carnem sensibilem propter nos sumpsit, non autem angelicam naturam: et anima similior est Angelo in entitate, non tamen unitur ei, sed corpori, cui congruentior est in ratione formæ, quam Angelo.

XXXV. Quod vero dicitur, sacramentum sine fide non causare, bene tamen fidem sine sacramento justificare respondeo, fidem sine sacramento in re vel in voto non justificare, sicut neque fidem sine operibus; sacramentum etiam sine fide, tamquam sine dispositione subjecti non justificat; non tamen hinc sequitur fidem operari justificationem, sed sacramenta disponente fide.

XXXVI. Ad primam confirmationem dicitur, Deum solum justificare et dimittere peccata, ut causa principalis; hinc tamen non excludi humanitatem Christi ut instrumentum conjunctum, et sacramenta ut separatam; neque ideo Deus se alligavit signis externis, quia sine illis si velit justificare potest; ordinavit tamen ut per illa causaret suam gratiam, ut potentiam suam amplius manifestaret in rebus humilibus. Unde per sacramenta homines non abstrahuntur a Deo, ut dicit Calvinus, sed magis ei subduntur, quia rebus et legibus ab eo ordinatis subijcitur.

XXXVII. Ad secundam confirmationem respondeo, probare etiam argumentum, quod Deus non causet gratiam, si quidem illa non est qualitas: igitur sicut est de fide gratiam

Dei aliquid esse, quidquid illud sit, et est de fide diffundi et causari a Deo in nobis tamquam semen Dei, sic eodem modo est de fide causari a Deo per sacramenta, quidquid illud sit, quod causat. Secundo tamen dicitur post Concilium Tridentinum de fide esse quod justificamur per aliquid inhærens in anima, ut ex sessione VI, canone XI, supra retulimus.

DUBIUM SECUNDUM.

UTRUM OMNIA SACRAMENTA HABEANT PER SE, SALTEM SECUNDUM RATIONEM GENERICAM, CAUSARE PRIMAM GRATIAM, FACEREQUE EX ATTRITO CONTRITUM?

Conclusio est affirmativa.

XXXVIII. Cujus intelligentia pendet ex duobus. Primum est, quomodo intelligamus primam gratiam, quando dicimus per se conferri ab omnibus sacramentis: secundum est, quomodo intelligatur sacramentum per se causare. Est enim certum apud omnes, sacramenta alia esse vivorum, alia mortuorum, et sacramenta mortuorum dicuntur, quæ secundum peculiarem suam rationem sunt ordinata ad causandam remissionem peccati, et primam gratiam: sacramenta autem vivorum, quæ sunt ordinata ad augendam, vel perficiendam gratiam, et ideo præsupponunt subjectum jam habere gratiam, et consequenter si sacramenta mortuorum applicentur homini existenti in gratia, augebunt, aut perficient in eo gratiam; nec enim frustrabuntur effectu suo: si vero gratiam non inveniunt in subjecto, sed tamen inveniunt dispositionem non resistentem nec ponentem obicem, pro certo habetur conferri illi tunc primam

gratiam ex opere operato sacramenti, seu ex vi propria; alias nunquam ista sacramenta possent conferre effectum, ad quem primo et per se ordinantur ex vi et ex opere operato ipsius sacramenti: ut ergo illam conferrant, oportet aliquando non præsupponere in subjecto contritionem et gratiam, sed facere ex attrito contritum.

XXXIX. Præter hoc fere certum est etiam, et apud omnes receptum, quod sacramenta vivorum, et quæ per se et secundum suam specialem institutionem ad augendam seu perficiendam gratiam ordinantur, aliquando saltem per accidens conferant gratiam primam, quia videlicet cum de se ordinentur ad gratiam perficiendam, seu sub modo perfecto causandam, potest contingere quod in subjecto de facto non sit gratia, quamvis putet bona fide gratiam inesse, et cum non ponat obicem, et alias putet se habere dispositionem requisitam pro tali sacramento, recipiet primam gratiam in re ab illo sacramento vivorum. Hoc, inquam, fere apud omnes certum est, quia expressis verbis traditur a D. Thoma infra, quæst. LXXII, art. VII ad secundum, et quæst. LXXIX, art. III, in fine corporis, in quibus locis clare docet: «Confirmationem et eucharistiam adulto existenti in peccato, cujus conscientiam non habet, vel etiam si non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, conferre remissionem peccatorum.»

XL. Status ergo controversiæ hic est, an supposito quod quædam sacramenta sunt secundum speciales rationes instituta ad primam gratiam, alia ad secundam, et non repugnat hæc, quæ sunt ad secundam gratiam, aliquando conferre primam, an videlicet illam conferant omnia per accidens; an vero saltem secundum genericam rationem om-

nibus sacramentis conveniat per se conferre primam gratiam. Et dicimus explicationem hujus quæstionis, et conclusionis ejus ex illis duobus pendere. Igitur quoad primum

XLII. Notandum est, quod prima et secunda gratia non distinguuntur tamquam duæ gratiæ, sed tamquam duæ rationes, seu formalitates aut effectus gratiæ. Ut enim S. Thomas ait articulo sequenti: «Sacramenta habent distingui secundum speciales effectus gratiæ,» et quæst. LXXII, art. VII ad primum dicit: «Primum effectum gratiæ esse remissionem peccatorum; habere autem alios effectus, quia sufficit ad hoc quod promoveat hominem per omnes gradus usque ad vitam æternam:» et ita isti effectus, seu formalitates, quamvis secundum se et seorsum videantur aliquam distinctionem, seu oppositionem habere, ratione cujus sacramenta, quæ illos specialiter respiciunt, distinguuntur inter se, tamen in ipsa substantia gratiæ uniuntur tamquam in una entitate, cujus ipsi sunt effectus aut formalitates.

XLIII. Hinc est, quod prima gratia potest considerari dupliciter, uno modo ut explicata in primo effectu gratiæ, seu formalitate illa primæ, secundum quod opponitur, aut distinguitur a secundo effectu, et formalitate explicante secundam gratiam: alio modo potest considerari prima gratia ut in ipsa substantia gratiæ continetur, et in productione gratiæ quoad substantiam continetur productio ipsius quoad modum primi effectus, licet ipse primus effectus, et formalitas primæ gratiæ, ut primæ, non sit ratio producendi gratiam.

XLIV. Sicut forma panis in eucharistia habet per se producere corpus Christi, ut est in Christo, et consequenter animam et sanguinem, li-

cet ex vi verborum, et tamquam rationem formali producendi non habeat producere sanguinem, et e contra est in forma calicis. Et ita forma panis, licet non directe et explicite habeat producere sanguinem habet tamen producere illum prout continetur in corpore, quod per se producit ut est in Christo, et ideo per se habet producere sanguinem, id est, habet ad id virtutem, licet non ex vi verborum. Sic stat bene, quod sacramentum habens per se producere substantiam gratiæ, habeat per se producere primam gratiam, ut continetur in substantia gratiæ de novo producibili, licet directe, et secundum propriam rationem attingendi gratiam, non primam, sed secundam gratiam explicite habeat producere.

XLV. Et similiter in naturalibus homo generat hominem totum, et secundum omnes rationes in eo inventas, et similiter cælum, et similiter Deus, licet unicuique agenti sua formalis et distincta ratio agendi correspondeat: et ita dicitur quod Petrus generat Petrum, et non hominem; homo generat hominem et non animal; animal generat animal et non corpus: sic stat quod idem sacramentum secundum rationem communem respiciat substantiam gratiæ producendam, et consequenter omnia quæ comitantur talem substantiam; secundum peculiarem tamen rationem respiciat pro ratione formali producendi secundum effectum, seu formalitatem gratiæ, non primum.

XLVI. Quoad secundum notandum est, quod per se producere aliquem effectum dupliciter sumi potest, uno modo taliter, quod ly per se dicat rationem formalem, seu motivam attingendi effectum: alio modo, ita ut ly per se dicat terminum, seu obiectum in quod potest virtus activa. Omne enim quod intra spheram ali-

cujus virtutis continetur, dicitur per se ab illa fieri, quamvis sub alia ratione formali attingatur. Ratione primi, homo non producit animal, sed hominem, et cælum non producit hominem, sed corpus, quia illæ sunt rationes formales agendi talium agentium: ratione secundi, homo producit totum quod est in homine, et cælum totum quod est in homine, et intensio producit qualitatem, et modum qualitatis; illam, ratione communi alterationis; hanc, peculiari ratione intensionis, quamvis ratio agendi ipsi non sit qualitas, sed perfectio qualitatis.

XLVII. Contra: Etiam per accidens dicimus effectum aliquam produci, aut quia ille effectus non præbet rationem formalem, licet ab illa causa attingatur: sicut homo per accidens causat animal, intensio per accidens causat qualitatem; aut quia effectus ille non est intra spheram alicujus virtutis, sed ex adjuncto aliquo per accidens sequitur; sicut monstrum non per se sequitur ex semine, aut ex cælo, nec calidum infrigidat nisi per accidens (id est, per antiperistasim) et album per accidens ædificat.

XLVIII. Vel ut melius dicatur, per accidens causare gratiam potest dici, vel per accidens respectu efficientiæ, quia videlicet ipsa virtus agendi per se non sufficit attingere, et influere in effectum, sed debet ei alia adjungi; vel per accidens dicitur, non respectu efficientiæ, sed respectu dispositionis per se requisitæ, aut respectu concursus causarum. Nam quando ignis cadit, verbi gratia, et comburit materiam, licet ille concursus materiæ et ignis sit per accidens, tamen combustio ab igne non est per accidens effective, quia per se habet ignis comburere. Sic licet per accidens sit respectu sacramenti (eucharistiæ

verbi gratia) talem dispositionem, id est, solum attritionem cum bona fide ponere, tamen non erat ei per accidens gratiam dare, sed ut instrumentum divinitatis id faciet.

XLVIII. Dicimus ergo, quod sacramenta legis novæ, ex hac ratione generica qua sunt legis novæ, habent per se producere primam gratiam, non sumendo ly per se, pro ratione formali (id enim peculiari ratione quorundam sacramentorum convenit, scilicet baptismo et pœnitentiæ) nec sumendo primam gratiam prout explicatur in effectu primo gratiæ, sed ut continetur in substantia gratiæ de novo producibili. Et ratio hujus est, quia sacramenta nostra ex vi rationis sacramentalis habent causare substantiam gratiæ; taliter quod habent vim illam producendi de novo, et quoad totam entitatem suam. Etenim sacramenta, eo ipso quod sunt instrumenta passionis Christi, virtutem ipsius participant; virtus autem Christi ad totam substantiam gratiæ est, ita et in sacramentis; alias enim si virtutem non haberent ab ipso causandi gratiam, etiam quoad substantiam, nunquam possent (etiam per accidens) illam producere, quia subjectum bona fide accedit. Ex hoc enim quod subjectum sic sit dispositum, non accrescit virtus ipsi causæ agentis: ergo si non est intra sphæram activitatis sacramenti productio gratiæ quantum ad substantiam, non poterunt illam producere, quantumcumque subjectum disponatur.

XLIX. Igitur dicendum est, quod producere gratiam ipsam non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam, continetur intra latitudinem et sphæram virtutis sacramentorum; sic enim absolute Concilia et Scriptura docent, sacramenta novæ legis causare gratiam, quæ propositio absolute non deberet con-

cedi, si non possent ipsam substantiam gratiæ producere. Et sic S. Thomas quæst. LXXIX, art. I ad secundum ait, quod: « Ex virtute sua eucharistia non solum habitum gratiæ habet dare, sed etiam actum excitare. » Igitur si omnia sacramenta, ex ipsa ratione sacramenti habent producere gratiam quoad substantiam, et in ipsa gratia quoad substantiam continetur primus effectus gratiæ, qui est remissio peccatorum, nec potest produci de novo ipsa gratia, nisi subjecto præbeat istum primum effectum, manifestum est, quod per se habeant primam gratiam producere ita quod quando illam producant, non per accidens producant (sicut in antiperistasi) sed virtute sua illam attingendo effective, et non ut causa per accidens.

L. Quare quando communiter dicunt theologi, sacramenta vivorum posse per accidens causare primam gratiam, ly per accidens potest teneri vel ex parte causæ agentis, ita quod ipsa sit causa per accidens, sicut quando calidum per antiperistasi causat frigus, vel semen causat monstrum; vel potest teneri ex parte causæ dispositivæ et materialis, ita quod ista dispositio est per accidens respectu talis agentis; ea tamen posita per se causat effectum, sicut verba consecrationis per se producerent corpus Christi, si in re non esset, et actio intensiva per se producit qualitatem, si illam productam non invenit, quamvis per accidens hoc contingat respectu talium subjectorum: sacramenta ergo non conferunt primam gratiam primo modo tamquam causæ per accidens, bene tamen secundo modo; hoc tamen non tollit, quin per se illam producant, sicut et per se producant gratiam quantum ad suam substantiam.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

LI. Sed objicies primo: Aliqua sacramenta novæ legis (ut baptismus et pœnitentia) sunt per se instituta ad remittenda peccata, et causandam primam gratiam; alia vero non sunt per se instituta ad remittenda peccata, sed ad augendam gratiam: ergo ista quinque sacramenta per se non habent causare primam gratiam, et remissionem peccati. Patet consequentia, quia per se solum competit sacramentis id quod ex institutione convenit; si ergo sunt per se instituta ad augendam gratiam, et non ad remissionem peccati, non causant per se primam gratiam. Antecedens autem ab omnibus traditur, et ex ipsa institutione sacramentorum constat, quia baptismus est ad tollendum originale, et actuale adultorum non baptizatorum; pœnitentia autem ad ad tollendum mortale baptizatorum; reliqua nec ad mortale, nec ad veniale tollendum sunt instituta: unde et quædam dicuntur sacramenta mortuorum, quia dantur mortuis in peccato ut habeant vitam, quædam vivorum quæ dantur habentibus gratiam.

LII. Nec valet dicere, quod sacramenta vivorum conferunt primam gratiam secundum rationem genericam, licet non secundum specificam. Contra hoc enim est, quia ratio differentialis nunquam repugnat rationi genericæ, quam contrahit: ergo si eucharistia, verbi gratia, habet ex ratione generica conferre primam gratiam, non potest illi repugnare ratione specifica: repugnat autem ex ratione specifica et differentiali conferre primam gratiam, cum ex ratione specifica habeat conferre gratiam secundam, seu gra-

tiam cibantem: ergo non potest ex ratione generica conferre primam gratiam.

LIII. Confirmatur: Quod convenit ratione generica alicui, convenit ei simpliciter et essentialiter, et consequenter oppositum non potest ei convenire per se, etiam ratione differentiali, sed ad summum per accidens: ergo si eucharistiæ, verbi gratia, convenit ratione generica causare primam gratiam, non poterit convenire oppositum, scilicet, causare secundam, et non primam, ex ratione aliqua differentiali, et sic ex propria et speciali ratione non haberet sacramentum eucharistiæ causare secundam gratiam, et non primam: itemque deberet dici de illa, quod absolute et simpliciter convenit ei causare primam gratiam, si quidem convenit ratione generis.

LIV. Respondetur distinguendo consequens principalis argumenti; quinque sacramenta per se non habent causare primam gratiam sub formali ratione primæ gratiæ, seu primi effectus gratiæ, concedo; sub formali ratione substantiæ gratiæ, in qua virtualiter includitur primus effectus gratiæ, seu prima gratia, nego. Ad probationem consequentiæ dicitur, quod sacramentis solum competit, quod ex institutione sua competit; ex institutione autem sua et convenit causare substantiam gratiæ, in quantum sunt sacramenta evangelica, et convenit talem effectum gratiæ causare, seu sub tali formalitate et effectu gratiam attingere, in quantum talia aut talia sunt sacramenta. Et hoc est convenire illis ex ratione generica causare primam gratiam, non ex ratione specifica, quia videlicet ex ratione generica habent attingere non primam gratiam sub explicita et formali ratione primæ, sed sub ratione substantiæ gratiæ, quam

consequitur primæ gratiæ productio.

LV. Sicut generatio habet producere quantitatem, ut consequitur ad substantiam, et augmentatio habet eandem producere secundum quod est aliquid additum, et non debitum substantiæ; et sicut alteratio speciei habet producere qualitatem de novo per motum in subjecto, intensio autem habet producere perfectionem qualitatis; quia tamen ex generica ratione alterationis habet etiam producere substantiam qualitatis, si illam in subjecto non inveniatur, producit illam de novo, sub alia tamen formali ratione, quam alteratio, quæ est species: sic sacramenta vivorum habent quidem ex peculiari et differentiali ratione producere perfectionem et augmentum gratiæ, tamen ex generica ratione sacramenti evangelici habent substantiam gratiæ producere, et ideo si illam non inveniunt in re productam, de novo faciunt, sub alia tamen ratione quam sacramenta mortuorum, quæ illam de novo habent producere ex propria et differentiali ratione.

LVI. Quare ex ratione generica habent sacramenta producere per se primam gratiam, seu gratiam quoad primum effectum; non si ly per se sumatur pro ratione formali producendi, sed si ly per se sumatur ut distinguitur contra causam per accidens, quia videlicet sub ratione formali attingendi substantiam ipsam gratiæ, habent virtutem in se producendi ipsam primam gratiam, si subjecto desit, et non habeat repugnantem dispositionem.

LVII. Et ita inter sacramenta vivorum et mortuorum in ordine ad producendam primam gratiam hæc est differentia, quod sacramenta mortuorum respiciunt in gratia a se producenda rationem primæ

tamquam ex parte objecti specificativi, quia instituuntur ad remissionem peccati et remotionem culpæ, quod non possunt, nisi pro formali et specificativa ratione respiciant rationem primæ. At vero sacramenta vivorum, ex ratione sua differentiali nullo modo respiciunt primam gratiam, ex ratione vero generica non respiciunt primam gratiam, ita quod ly prima teneatur ex parte rationis formalis specificantis, cum sub ratione generica, non specifica respiciant gratiam, sed respiciant primam gratiam secundum quod esse primam provenit illi ex conditione subjecti, quia videlicet per se habent producere substantiam gratiæ, et ita si desit subjecto, illa gratia remanet prima. Unde in hoc sensu dicitur per accidens illam causare, quia per accidens est illi, et ex parte subjecti talem esse dispositionem, ut gratia cujus substantiam habent producere, sit prima illi subjecto.

LVIII. Ex quo solvitur replica argumenti, ratio enim differentialis non est quomodocumque producere secundam gratiam in eucharistia, sed producere illam tamquam ex ratione formali specificante. Ratio autem generica non est producere primam gratiam, tamquam ex ratione formali specificante, sed producere substantiam gratiæ, et consequenter si talis sit conditio subjecti producere primam: hæc autem rationes non sunt contrariæ aut repugnantes.

LIX. Ad confirmationem similiter respondetur distinguendo consequens; si ex ratione generica habet producere primam gratiam, non potest ei convenire oppositum (scilicet causare secundam) distinguo; si causare primam et secundam sumantur secundum oppositas rationes et formalitates, concedo; si non sumantur secundum oppositas

rationes, nego. Ut autem sint oppositæ rationes, oportet quod utraque sumatur secundum quod est ratio specificativa formalis; habere autem producere secundam gratiam ex ratione formali specifica, et primam gratiam non ex ratione formali specifica, sed ex ratione producendi substantiam gratiæ, quæ respectu subjecti non habentis illam redditur prima, non est ei oppositum. Nec propterea dicitur, quod absolute et simpliciter debet causare primam gratiam eucharistia, quia non hoc habet ex ratione formali producendi, et ex propria et specifica ratione, a qua unumquodque denominatur simpliciter et absolute; sed habet hoc ut contentum in ratione formali producendi substantiam gratiæ, quæ respectu subjecti non habentis gratiam prima est; sicut in exemplo supra posito de intentione, et transubstantiatione apparet.

LX. Secundo arguitur: Sacramenta sub nulla ratione habent vim causandi gratiam nisi ex divina institutione: sed Christus Dominus nullam institutionem sacramentorum fecit secundum rationem genericam omnibus communem, sed secundum specificam, ut baptismi, confirmationis, etc. ergo causare gratiam non convenit sacramentis secundum rationem genericam, sed secundum speciem suam, et solum dicitur omnibus commune esse causare gratiam, quia singula sunt instituta ad aliquam gratiam causandam; et ideo abstrahi potest causatio gratiæ in communi, abstrahendo a prima vel secunda gratia: hæc autem abstractio est speculativa, et non practica, quia practica institutio respicit determinatos fines, et in particulari, non rationes genericas, nisi quatenus in specificis continentur: ergo ex institutione practica sacramen-

torum non potest inferri quod secundum rationem genericam habeant practicam virtutem causandi primam gratiam, licet speculative abstrahi possit ratio quædam generica, in qua conveniunt omnes specificæ rationes causandi sacramentorum.

LXI. Confirmatur, quia ut determinat Tridentinum sessione VII, can. VI, sacramenta novæ legis continent gratiam, quam significant, sed aliqua sacramenta non significant practice primam gratiam, ut eucharistia, confirmatio, etc. ergo neque causant illam, etiam secundum rationem genericam, si quidem secundum rationem genericam non habent illam practice significare.

LXII. Respondetur distinguendo minorem; Christus Dominus nullam institutionem sacramentorum fecit secundum genericam rationem seorsum et separatim a specifica ratione, concedo; inclusam in specifica ratione, nego. Instituit enim ut sacramenta essent causæ gratiæ quoad substantiam gratiæ, et secundum suas speciales rationes talis gratiæ, seu tali modo attingendo gratiam, ex qua institutione habent causare substantiam gratiæ in subjecto non habente illam, si non habeat dispositionem repugnantem; et tunc erit prima gratia in illo subjecto, licet ex parte rationis formalis non habeant sub ratione primæ gratiæ attingere gratiam; sed potius quia substantiam gratiæ attingunt, habent ex consequenti primam gratiam in subjecto facere, non tamen ut causæ per accidens illius. Quare sicut practice habent virtutem producendi substantiam gratiæ, ita practice, et non solum speculative habent producere primam gratiam, si subjecto desit.

LXIII. Exemplum est in verbis consecratoriis eucharistiæ, quæ pra-